

antecedens. Posset deveniri ad aliqua duo entia, quæ se invicem causarent: ergo non per hoc deveniendum est ad aliquod primum ens, a quo omnia moveantur.

X. Si darentur infinitæ entium productiones per totam æternitatem ante, & ante, non esset necesse devenire ad ens aliquod ab alio improductum; sed dantur infinitæ istæ productiones: ergo non est necesse devenire ad ens illud improductum. Major propositio negari non potest; quia in illa infinitate productionum nunquam deveniretur ad primum: ergo nunquam deveniretur ad ens illud improductum. Antecedens constat, quia in infinito non est primum. Minor principalis argumenti probatur. Poterunt dari infinitæ illæ productiones: ergo dantur. Antecedens est certum in sententia illorum, qui docent, mundum potuisse esse ab æterno. Consequentia probatur illa eadem repugnantia, quæ obstat, ne possint dari infinitæ illæ productiones, obstat quoque, ne dentur; sed nulla repugnantia obstat, ne possint dari: ergo nulla repugnantia obstat, ne dentur.

XI. Nulla in nobis esse potest idea rei infinitæ: ergo nulla in nobis est idea Dei. Probatur antecedens. Idea rei infinitæ est propria facultatis infinitæ; sed facultas nostra finita est: ergo nulla in nobis esse potest idea rei infinitæ. Probatur major. Si facultas nostra fingat sibi ideam rei infinitæ, vel concipit rem infinitam, vel non concipit? Si concipit? ergo ad mensuram objecti ipsa etiam cognitio erit infinita. Si non concipit? ergo idea illa rei infinitæ non est vera cognitio, sed chimæra; ac proinde nequit ex chimæra colligere existentiam entis necessarij, & perfectissimi.

XII. Idea illa Dei, quam nos dicimus esse in omnium mentibus, vel est animis nostris congenita, vel est potius a nobis acquisita? Si est animis nostris congenita? Ergo Deus jam erit per se notus; adeoque a nemine poterit negari, cujus tamen contrarium experimur. Si est a nobis acquisita? Quærent insuper, aut acquisita fuit experientia, aut ratiocinatione? Non experientia, aliter cunctis esset obvia, & manifesta, ac nemo illam posset non advertere. Non ratiocinatione: quia hæc, aut a naturali lumine haberetur, aut ab artificiali discursu. Non a naturali lumine, quia aliter eadem esset apud omnes, etiam rudes, & imperitos. Si ab artificiali discursu? Ergo non est amplius idea, sed est demonstratio, quæ labore indiget, & studio, & tamen non est evidens.

Respondemus ad I. Quomodo Deus causa sit universalis omnium rerum, non est necesse, ut omnes effectus, quos producit, sibi sint similes in perfectione. Etiam in causis univocis experimur, aliquando Patrem sapientem filium indoctum generare, & deformem natum a pulcherrimo Genitore produci. Quanto magis in causis, quæ univocæ, & particulares, non sunt? Hoc nec minus officit Deo, in quantum est causa prima, & nobilissima in causando; quia ut plurimum defectus illi, quos nos videmus, etsi in rebus particularibus defectus appareant, in universitate tamen rerum, ad quam ordinantur, constituunt potius pulchritudinem, quam deformitatem. Profecto quinam est effectus Dei ad extra, qui suæ omnipotentia, & infinitæ sapientia, adæquate respondeat? Nec per hoc tantum Deus dicitur omnipotens, & infinitæ sapiens, quia hunc solum mundum creavit, quum alios infinitos poterit insuper creare. Sicut ergo nihil divinae omnipotentia, & sapientia, detrahatur, quia unum solum mundum, & non infinitos, creavit; ita nec istdem officit, quod in iis, quæ creavit, defectus voluit esse, qui sunt proprii, & convenientes illorum naturæ, & conditionis. Quia enim creaturæ erant, defectibiles esse oportebat; & quia in mundo vicissitudinibus obnoxio comprehendebantur, non conveniebat semper in eodem statu esse, & permanere. Eminent nihilominus Dei infinita potentia, & sapientia, in eo, quod defectus illos, qui sunt naturæ rerum congeniti, universitatis rerum ordini, symmetria, & pulchritudini, ordinaverit.

Ad II. dicitur, quod verus conceptus entis a se non in eo fiat, quod sibi esse conferat, & quod esse a semetipso recipiat; at potius est in eo, quod suum esse a nemine accipiat, scilicet nec ab alio, nec a se ipso; unde totum suum esse sit simul habitum, & inacceptum. In hoc autem nulla impossibilitas apparet, quia, quomodo omnia contingentia, quia contingentia, esse recipiant ab alio, & quia sunt entia secunda, nihil habeant ex se ipsis; ipsum quidem, quod est ens primum, esse habere debet ex se ipso, ob necessitatem, quam habet essendi, & ob independentiam, quam habet a quocunque. Certe quidem habere, & non habere, contradictionem important; at hujuscemodi explicatio nimis crassa est, si aliquando a quibusdam adhibeatur. Vera notio entis a se illa est, quam tradidimus; ex se ipso scilicet habere totum